



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 109. Synodi Ferrariensis continuatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66426)

Sæcul. XV.  
A. C. 1438.

§. CIX.

*Ferrariensis Synodus continuata.*

Stupebant Græci, ubi evoluto jamjam tempore ad profequendam Synodum Ferrariensem præstituto, nullum ex Basileensibus, & paucissimos ex aliis regionibus præsentis viderunt; unde jamjam a pristino suo ardore remittere incipiebant, quamvis Eugenius nil intentatum relinqueret, ut eis omni rationum pondere persuaderet, ibi universalem, veramque Ecclesiæ Catholicæ Synodum constitui, ubi summus Pontifex præsens adesset cum Imperatore Græcorum, & Patriarcha Constantinopolitano, ceterorumque Legatis, atque Cardinalibus. Præterea non modice angebantur Græci, veriti, ne forte, si in decidendis causis Nationum suffragia computarentur, Latinorum, qui aderant, numero impares votorum collectione superarentur; verum hæc quoque dubitatio evanuit, dum statutum est, ut non suffragiis res ageretur, sed quisque suam sententiam aperte, ac libere proferret. His ita compositis, communi consensu decretum, ut Oecumenici Concilii Sessiones celebrarentur, atque ante omnia tractaretur de duabus illis quæstionibus I. Utrum fas esset quicquam Symbolo addere II. An additio *Filioque* pietati consona sit, atque probari debeat. Cum vero

vero Eugenius Papa podagra detentus ad Sæcul. XV.  
 Ecclesiam, ubi Synodus fuerat indicta, A. C. 1438.  
 accedere non posset, in amplo Pontificii  
 palatii Sacello convenere Patres, eodem  
 ordine, & apparatu, quem prima vice  
 stabilitum, & observatum vidimus in ma-  
 jori templo S. Georgii, ubi Synodo so-  
 lemne datum erat Principium.

## §. CX.

*Sessio I. Ferrariensis Synodi Græco-  
rum simul, & Latinorum.*

Ergo die octava mensis Octobris Feria Labbe Conc.  
 quarta cum Græcis prima celebrata 10. 13. p. 34.  
 est Sessio, ante cujus principium Impe-  
 rator eos, qui habitis intererant congrega-  
 tionibus, scilicet sex illos illustriores Ar-  
 chiepiscopos magnum Chartophylacem,  
 magnum Ecclesiarcham, duos Abbates  
 tresque Doctores ad se vocavit, rogans,  
 quæ dogmata ante omnia forent discu-  
 tienda. Hi in diversas abiere sententias;  
 vicit tamen potissima eorum pars, quæ  
 disputationi initium dandum esse cense-  
 bat a secundo articulo: An Ecclesiæ la-  
 tinæ dogma de Processione Spiritus san-  
 cti orthodoxum esset, ac eundem a Filio  
 procedere, jure additum fuisset? Elege-  
 runt Græci, atque Latini utrinque senos  
 Prælatos, fueruntque illis ante altare, in  
 quo liber Evangeliorum positus erat, se-  
 dilia